

2. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, Decree of the Secretary, July 11, 2013, Prot. N. 47709/B/13 CA—Incardination—Refusal of request for excardination—Recourse to the Congregation for the Evangelization of Peoples—Computation of time for presenting

Prot. N. 47709/B/13 CA

Incardinationis

(Rev.dus N.—Congregatio pro Gentium Evangelizatione)

(Cf. Prot. N. 46061/II VAR)

DECRETUM

Exc.mus Episcopus X Rev.dum N., sacerdotem Dioecesi X incardinatum, ab anno 2004 legitime in Archidioecesi Y ad studia iuris canonici peragenda degentem, inde a die 6 septembris 2011 pluries frustra ad revertendum invitavit. Die vero 2 ianuarii 2012 Rev.dus N. ab Exc.mo Episcopo X expostulavit excardinationem, ita ut Archidioecesi Y incardinari posset.

Rev.dus N., asserens se responsionem negativam proprii Ordinarii solummodo post regressum in civitatem Y die 15 februarii 2012 recepisse, die 22 februarii 2012 ab Exc.mo suo Ordinario revocationem praefatae decisionis expetiit. Qua die 9 martii 2012 reiecta, ipse die 29 martii 2012 ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione recurrit.

Invitatus dein a Congregatione die 2 ianuarii 2013 ad revertendum in Dioecesim incardinationis, Rev.dus N. die 28 februarii 2013 novam audientiam expetiit et eodem die recursum ad H.S.T. exhibuit.

Expetit et obtentis actis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod iuxta artt. 34 §1 et 74, §1 *Legis propriae* H.S.T. coram hac Signatura Apostolica recursus exhibendus est intra terminum peremptorium sexaginta dierum utilium;

Attente perpenso quod:

—Recursus hierarchicus die 15 maii 2012 ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione pervenit;

—Terminus sexaginta dierum ad recursum adversus silentium per tres menses protractum (cf. can. 57) interponendum die 16 augusti 2012 decurrere incepit;

—Rev.dus N. recursum ergo die 28 februarii 2013 apud H.S.T. extra terminum peremptorium absque dubio exhibuit;

Perspecto quod litterae Congregationis pro Gentium Evangelizatione diei 2 ianuarii 2013 nullam decisionem continent, sed solummodo genericam invitationem in Dioecesim regrediendi atque, proinde, recursum die 28 februarii 2013 ad H.S.T. propositum haud remittunt in terminos;

Considerato quod:

—Ignorantia legis de terminorum supputatione non praesumitur (cf. can. 15, §2);

—Ignorantia in casu haudquaquam admitti potest, quia Rev.dus Recurrens studia in iure canonico per sex annos peregit;

Cum proinde in casu recursus extra terminum peremptorium utilem propositus appareat;

Subordinate quidem, relate ad assertas violationes iuris, animadverso quod:

—A Rev.do N. nullum documentum exhibitum est ex quo constat de acceptione propositae incardinationis ex parte Archiepiscopi Y;

—Nec arbitrariae sunt in casu, sed graves, causae denegatae excardinationis (cf. can. 270) ab Exc.mo Episcopo X adductae, praesertim extrema penuria cleri in illa Dioecesi;

Praetermissis ceteris forte animadvertendis;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vì art. 76, §1 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiциendum esse et facto reici, utpote indubie ac evidenter extra terminum peremptorium propositum et, subordinate, utpote carentem cuiuscumque fundamenti.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto.¹

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae e Sede huius Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die II iulii

2013

✠ FRANCISCUS DANEELS, o.praem.
Archiepiscopus tit. Bitensis
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, M.G.
Moderator Cancellariae

1. Contra hoc decretum recursus ad Congressum exhibitus non est.